

1623

CODICES

1624

tus contra luxuriam. Sequitur Prohemium: Secundum Aristotilis sententiam in probleumatibus suis. Quanquam in exempla adiscendo gaudeant omnes, in disciplinis moralibus hoc tamen amplius placet. &c. Libris singulis Elenchus Apologorum suorum praefixus est, et ad calcem rursus minio: *Explicit Apolegiticus Cirilli episcopi grecorum. Translatus de greco in latinum. 1443. Augusti.* En igitur Exemplar, ad quod *Balth. Corderius* editionem suam, de qua mox, adornavit, e cujus cum Codice collatione discas, quantam libertatem sibi Vir ille ad perpo-
 liendam dictionem sumserit, quod nollem; Lectores enim in errore confirmare potest, *Apologos* hos re ipsa e graeco traductos fuisse.

DCLXXXVIII.

- U. 84 Codex chartaceus lat. partim Sec. XV. partim XIV. Folior. 193. 4. diversis manibus conscriptus, partimque per duas columnas, partim lineis longis exhibet frequentia: I. ut in praevio Elencho dicitur, *Quadripartitum Cirilli*, id est, *Libros IV. Apologorum* moralium, quorum I. contra Imprudentiam, II. contra Superbiam, III. contra Avaritiam, IV. contra Luxuriam dirigitur. Prologus ita inchoat: *Secundum Aristotilis sententiam in propleumatibus suis quanquam in exemplis gaudeant omnes in addiscendo in disciplinis moralibus, hoc tamen amplius placet, quando structura morum*

*ceu ymagine pi&a rerum similitudinibus palacium virtutis ostenditur &c. Propter hoc fili mi karissime informatiua iuventutis tue documenta moralia — trademus &c. Itaque Liber I. 27. II. 30. III. 27. IV. 11. Apologos continet. Veritas, quam quivis docet, minio praefixa est. V. g. Semper discite et in extremis horis sapientie magis stude. Actores Vulpes et Corvus. Vulpes decrepita ardens cupiditate &c. Nichili sibi homo est sine sapientia. Actores Aquila et Sol. In lucidioris aeris sublimitate aquila transcendens &c. Inventos hosce in Codice membraneo *Corviniano*, qui itidem, ut praefens, ad *Job. Fabrum Ep. Vien.* et ab eo ad Bibliothecam Collegii Acad. S. J. pervenerat, quemque ante produxi, *Apologos* pernitide, ut vix quidquam hodie e prelis hujatibus emergere videas, in lucem dedit, phrafi tamen satis mutata, *Balth. Corderius* S. J. Theol. Prof. typis *Gregor. Gelbhaar* 1630. 12. inter *Cyrillos Alexandrin.* et *Hierosol.* incertus, et e graeco conversos autumans. Quod nollem Viro docto accidisse; primum enim stilus ipse Autorem latinum sequioris aevi manifeste prodit, dein nequaquam ἀνεκδοτον τι promisit *Corderius*. In meo ad *Annales typogr. Maittairii Suppl. P. II. p. 549.* quatuor indicantur horum *Apologorum* Editiones Sec. jam XV. s. I. et a. vulgatae, quibus e *Panzeri Annal. der alt. deutsch. Litteratur, Norimb. 1788. p. 445. 4.* addo*

addo Versionem germ. titulo *Spiegel der Wylsheit*, *Basil.* 1520. 4. In his Editionibus Opus audit *Speculum Sapientiae*, aut *Apologeticus Cyrilli Episcopi*; ubi vero is federit, nemo prodit, nisi quod *Jöcherum* in *Lex.* video *Basileam* innuere, et ablegare ad *Urstisum* et *Sim. Grynaeum*, apud quos nihil tamen reperio, unde inducor, opinionem hanc natam e male intellecta editionis mox cit. subscriptione, quae sic habet: *Durch Cyrillum Bischoff, zu Basel vft rütsch transferiert.* Illud addendum: Deesse Codici nostro ultimum *Corderii Apologum*, ejus vero loco adesse Perorationem, qua *Corvinianus* caruit; adscriptum item esse alia manu *Apologum Araneae et Podagrae* forma epistolari, cujus initium: *Anilem tibi fabulam, sed ex re.* &c. et finis: *si malum omne uis pellere, pelle diuicias. Vale.*

II. fol. 97. Trialogus inter Patrem, et duos filios, quorum alter Clericus, alter Miles, hoc initio: *Temporibus Berengarij* (✠ a. 924) *huius nominis primi qui post Iodovicum tertium Romanum cepit. alias rexit* (sic) *Imperium. Erant duo germani fratres &c. Horum, qui Clericus est, sacri curionis munere a Berengario donatus ruri beatus agebat, cum illum Frater modis omnibus ad aulam revocare niteretur; sed contrarium evenit; praesente enim Patre Miles Fratris hortatibus faniora consilia suscipit; Pater vero corruptos Sacerdotum, Militum et Rusticorum mores a Clerico fi-*

bi describi petit, et audit. *Extrema piae hujus fictionis, quae recentiore[m] autorem sapit, sunt: qui es restitutor salutis in primo parente perdit, sis conseruator eiusdem in nobis per gratiam restitute. Amen.*

III. fol. 118. p. 2. *Increpacio*, ut in ora infera, hominis facta per angelum proprium per modum dialogi. Angelus clientem suum in officii pietatis instituens ita orditur: *Aduersum te hominem ingratitude vicio laborantem hic sermo dirigitur &c.* Finit Homo erumpens in affectum his verbis: *ubi tu deus cum patre et spiritu sancto viuis et regnas in secula seculorum Amen.*

IV. fol. 124. p. 2. *Dyalogus*, rursus ex ora infera, de quodam clerico, qui voluit res ablatas in curia romana recuperare. Initium: *Quidam clericus de stirpe Burgen. procreatus — dum post absumptam hereditatis paterne substantiam egestatis simul et inopie coartaretur angustijs, videns, quod nec aduersarijs suis resistere, rapta quoque per eos bona et predia nequiret aliquantiter recuperare, cepit — tam curis quam eciam suspirijs varijs circumuolui &c.* Ita constitutum reperit Magister amantissimus, cujus ab ineuntis etatis primordio virge dorsum et ferule manum exposuerat, solatur, audit propositum adeundi Curiam Romanam pro ope, nec improbat; suadet tamen Clerico, ut secum IV. *Succos*, primum pecunijs, alterum recentibus nugis, tertium paciencia, quartum demum audacia plenum deferat. Satyra fat mordax autore, ut suadent

dent Sequentia, quodam ex *Hussi* disciplina *Bobemo.* V. fol. 127. p. 2. eodem calamo *Lectiones* III. pro Officio ecclesiastico SS. *Bobemiae* Indigentum, nempe *Viti*, *Wenceslai*, *Adalberti*, *Sigismundi*, *Quinque fratrum*, *Procopij*, *Cirilli et Metudij*, *Ludmillae et aliorum.* Init Prima: *Etsi omnium sanctorum fratres karissimi sacras victorias devoto celebramus affectu &c. Paagai verux* solum, nihil ad Historiam continent, atque e vetusto quodam *Breviario Prag.* descriptae videntur ad diem, quo *Festum Reliquiarum* horum SS. agebatur.

VI. fol. 129. Acta SS. *Cyrilli et Metudii* forma homiletica enarrata hoc ingressu: *Hodierna festiuitas dilectissimi geminatam nobis confert leticiam in qua geminorum fratrum veneranda festa recolimus &c.* Ad *Olomucensem* Ecclesiam haec potius pertinere videntur, quam ad *Pragensem*, in cuius *Breviario Venetiis* anno demum 1517. 8. excuso ad diem 9. *Martii* ne quidem initio indicantur beati Fratres, et 6. breviculis *Lectionibus* fol. 244. absolvuntur. Ceterum nihil haec *Acta* continent, quod non in iis legas, quae *Bollandiani* T. II. *Martii* ad diem praedictam contulere, nisi quod diserte: *Ad augmentum quoque orthodoxe fidei (Swatopluk) in loco qui dicitur melhrad, ubi tunc erat sedes regni sui, Archiepiscopalem sedem erigi et ad eius regimen sanctum cirillum disposuit ordinari adiunctis sibi septem episcopis suffraganeis in polonia et ungaria constitutis.* Quae

omnia in edit. *Dobneriana Annal. Hagec.* P. II. et III. passim illustrantur.

VII. fol. 133. p. 2. Pia ad B. V. *Precatio*, quae incipit: *O vere sancta et immaculata, o perfecta Dei mater maria &c.* *Occasio*, qua composita est, videtur desumi posse ex his verbis: *In hac quippe festiuitate nouella, quam ad honorem tui nominis institutam solempni ueneratione prosequimur &c.* De *Festiuitate Conceptus immaculati* e *Decreto Synodi Basil.* 1439. agi autumo; non enim de *Festo Nominis* sermo esse potest, quod superiore demum *Seculo* ab uniuersa *Ecclesia* celebrari coepit.

VIII. fol. 137. *Summa Laurentij de dictamine. Tractatus de differencia ricmorum*, et ad calcem: *Explicit lilium rethorice.* *Fragmenta confusa Exemplorum Literarum*, *Formulae variae Epistolares*, *Tituli*, quibus diversae conditionis homines adpellantur, et quaedam de *Rhythmis*, nullius pretii. *Laurentium* quendam e *Praeentore Dunelmensi Abbatem Westmonasteriensem Londini* Sec. XII. de conscribendis *Epistolis* tradidisse meminit ex aliis *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 472. *Lilium Grammaticae* non semel editum habetur a *Guil. de Wert.* Fortasse subpar quidam *Ludi Magister* haec coagmentando *Lilium Rhetoricae* effinxerit.

IX. fol. 148. manu Sec. XIV. praemissa brevi *Tractatione* de IV. *Virtutibus Cardinalibus* sequuntur *Autoritates Aristotelis* e LL. *Metaphyf.*

1629

ASCETICI

1630

taphys. Phyc. de Coelo et Mundo, de Generatione et Corruptione, de Anima, de Sensu et Sensato, de Memoria et Reminiscencia, de Somno et Vigilia &c. citatis etiam Averrois et Themistii Commentariis. Item Excerpta Senecae, Boethii, Platonis, Apuleji, et ad calcem: *Iste liber nuncupatur flores philosophiae.* Ejusmodi Flores sive *Auctoritates* non semel sub Typographiae primordia prolo proditae sunt.

Joh. Alex. Brassicanus Ictus noster, a quo ad *Joh. Fabrum* Codex iste devolutus est, cum in aditu, tum fol. 96. 132. et 133. quaedam de *Cyrillo* adnotavit partim *Anastasi Bibliothecarii*, partim sua, e quibus tamen hodie parum proficias.

DCLXXXIX.

R. 3149 Codex membranaceus germ. Sec. XIV. Folior. 70. 4. min. caractere atro luculento perscriptus, coloribus illustratus et quondam Collegii Canon. Regular. ad *S. Dorotheam*, cui donaverat *die edel fraw Barbara Schewrbekchin vnser sweister*, continet Mystica quaedam *M. Echardi, Eccardi, Eckbarti, Aicardi* O. P. (addit *Trithemius* n. 537. ut quidam volunt) variis Scriptis celebris, e quibus excerpti Articuli damnati sunt a *Johanne XXII.* a. 1319. et ab *Academia Heidelberg.* a. 1430. ut videre est apud *Trithem. cit.* et in *Annalib. Eccl. Odor. Raynaldi* T. XV. item in *Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 507. quos tamen *Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

ante mortem, in *Austria* intra a. 1309—19. obitam revocavit. Enumerat Scripta illius *Trithemius*, quae tamen hic vernacula habentur, in ejus censum non venere; fieri vero potest, ut habeantur in Edit. *Sermonum germ. Joh. Tauleri* alterius famosi ex eodem Ordine Mystici *Eccardi* multum adfecti *Basileae* 1521. f. quam recenset *Freystagius* T. II. *Adparat. lit.* p. 1085. et *J. Jac. Beck* in *Disput. de Joan. Tauleri Dictione vernacula et mystica.* *Argent.* 1786. 4. testaturque, in ea *Eccardi* varia *Taulerianis* addita, quin immixta esse. At vero Editio illa ad manum mihi non est. Superest igitur, ut in Codice praesenti contenta indicem. Inscriptio miniata est: *In dem namen gotes vnd seyner muter marien. hebt sich an. daz buch. daz da geschriben hat ein schuler der haist iohan. der edelen wrauen ver gedrawtten, Daz sint di. predige di da gemacht hat bruder Echard eyn maister von paris.* 1) Sermo in illud: *Virtutes celorum mouebuntur*, quo docetur Deus cum toto coelo immigrare in piam Animam. Initium: *Dy se wort spricht vnser herre in dem ewangelio. Vnd bedeuten sich also. Di crefte der himel werden sich bewegen &c.* 2) Dialogus brevis inter Magistrum et Discipulum de Signis Hominis divini. *Eyn lere wi man muge erkennen den gotlichen menschen.* Initium: *Ez vraget ein iunger synen maister in der schul der gotheit &c.* 3) Qua ratione Pater, Filius et Spiritus s. trahant Animam. *Der vater*

K k

vater